



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 60. Sententia Æneæ de hac electione

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. LIX.

Sæcul. XV.

A.C. 1458.

*Cardinalium consilia de Rothomagensi
in Papam eligendo.*

Pridie, ac celebratum fuit scrutinium, media nocte ad Æneam Piccolominæum accedit Cardinalis Bononiensis, dicens: *Papam habemus. Plures ex fratribus conjurarunt pro electione Rothomagensis. Surge frater ad eum accedas, ne electum postea patiaris inimicum.* „ Me quod „ attinet, quæ in nupero conclavi passus „ sum, declinare studeo; Callistum enim „ semper mihi offensum habui; ut ergo „ me sequaris hodie, tibi consulo.

§. LX.

Sententia Æneæ de hac electione.

Bononiensi Piccolominæus respondit: *Amice tecum sit consilium tuum: Absit a me, ut dicam Christi Vicarium hominem tam sancta dignitate tantopere indignum. Si alii elegerint, innocens ego ero. Non propterea occidet me. Quod pauper sum moriturus, non tædet: nam in hoc natus sum. Musæ mihi superextabunt, dulce inopie refrigerium. Ego autem minime credo, quod in domo Sanctorum, & in habitatione sancta permittat Deus ministrare hominem simoniacum, ejusque domum fieri lupanar, & latronum speluncam. Dat Deus,*
non

Sæcul. XV. *non homines Pontificatum. Cras videbis,*
A.C. 1458. „ Deum esse, qui Pontifices creat; ergo
 „ si vere Christianus es, Viro tanti hono-
 „ ris indignissimo suffragium tuum de-
 „ nega. „

§. LXI.

*Rothomagensis electio ab Ænea
 impedita.*

Hæc Æneæ Sylvii verba tam intime
 Bononiensis animum penetrabant, ut
 mutato consilio, Rothomagensi suffragium
 suum denegare promitteret. Postera
 die, summo mane Æneas Piccolominæus
 Vice-Cancellarium adiit, sciscitans, an &
 ipse in eorum abiisset partes, qui Rotho-
 magensem in Papam eligere destinassent?
 cui Cardinalis reposuit: Quid? num con-
 tra torrentem currere possum? *cum ma-
 jori parte convenio: electioni jam factæ non
 adversor, ne eludat, & officio spolier Cancel-
 lariæ, quam mihi in scriptis confirmavit.*
Cui Æneas, O insane! hostem itaque Na-
 tionis tuæ Pontificem dices, eique fides, qui
 fidem non habet? Cancellariam enim Ave-
 nionensi promisit; cui ergo stabit, indigenæ
 suo, vel advenæ, & extraneo? Gallus Gallo,
 vel Gallus Hispano. Si Deus, & Religio non
 movet; utilitas moveat. Vide, quæ timen-
 da restant sub Pontifice Gallo. (*)

§. LXII.

(*) *Hæc ultima verba Continuator de suo
 addidit.*